

# DOCUMENTOS

## SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

### DECRETUM

INSTITUTUM THEOLOGIAE MORALIS SEU ACADEMIA ALFONSIANA FACULTATI  
THEOLOGICAE PONTIFICIAE UNIVERSITATIS LATERANENSIS INSERITUR

Fidei morumque aedificationem Apostolica Sedes per eos assidue provehendam constanter voluit qui theologico magisterio funguntur tum ad dogmata tum ad praecepta Divinae Revelationis exponenda, perpendenda, ad effectus conclusionesque ducenda. Magistros in primis summopere commendat qui, vitae normas sacrorum alumnis presbyterisque praebendo atque edisserendo, “ad iustitiam erudiunt multos”, quorum erit catholicum populum singulosque fideles ad malum devitandum bonumque faciendum adeo ducere, ut in partem aeterni summique Boni tandem veniant. Quod his duobus fere saeculis in Ecclesia laudabiliter praestiterunt discipuli Sancti Alfonsi Mariae de Liguorio, Episcopi et universalis Ecclesiae Doctoris; cuius prementes vestigia, errorum tenebras, quas increduli congesserunt atque “indocti et instabiles” partim susceperunt, verbis et scriptis refellere nunquam destiterunt, sanam doctrinam lectissimis utriusque cleri alumnis tradendo. Fastidium nuperrime operi imponentes, moderatores inclitae religiosae Congregationis a SSmo Redemptore in alma Urbe a. D. MCMLVII, probante Sacra Congregatione de negotiis Religiosorum, “Academiam Alfonsianam” condiderunt. Cum huiusmodi Theologiae Moralis Institutum, integrae morum scientiae sapientiaeque excolendae addictum, iis additis disciplinis quibus efformatur “bonus minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei et bonae doctrinae” (*1 Tim.* 4, 6), prospere cesserit, Rector maximus laudatae Alfonsianae familiae suppliciter postulavit ut “Academia Alfonsiana” Theologica Facultate Pontificiae Universitatis Lateranensis ita includeretur ut eiusdem pars fieret, “Institutum Theologiae Moralis” nuncupatum, ad magistros Theologiae Moralis praeparandos. Cum autem SSmus Dominus Noster Ioannes Divina Providentia Papa XXIII benigne annuere dignatus sit, Sacra Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus, post approbata peculiaria exhibita Statuta, pro munere Institutum Theologiae Moralis seu “Academiam Alfonsianam” partem Facultatis Theologicae Pontificiae Universitatis Late-

ranensis hisce *constituit constitutamque declarat*, ad normam eorundem Statutorum, quibus et methodus adhibenda et disciplinae tradendae et academici effectus —praesertim ad S. Theologiae lauream quod attinet— ad amussim praestituuntur. Ceteris servatis de iure servandis: contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis, d. II m. Augusti, in festo Sancti Alfonsi de Liguorio, Episcopi et Ecclesiae Doctoris, a. D. MCMLX. L. ✠ S. ✠ I. Card. PIZZARDO, Ep. Albanen. *Praefectus*

Dinus Staffa, *a Secretis*

## SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

### MONITUM (\*)

Cum compertum habeat passim esse vulgatas et adhuc spargi multas et periculosas opiniones circa peccata contra VI Decalogi praeceptum et circa imputabilitatem humanorum actuum, haec Suprema Sacra Congregatio sequentes normas publici iuris fieri censuit:

1) Episcopi, Praesides Facultatum Theologicarum, necnon Seminariorum et scholarum Religiosorum Moderatores, ab iis quibus munus incumbit docendi theologiae moralis vel congeneris disciplinae, omnino exigant ut traditae ab Ecclesia doctrinae ad amussim se conforment.

2) Censores ecclesiastici magnam adhibeant cautelam in recensendis ac iudicandis libris et ephemeridibus, in quibus agitur de sexto Decalogi praecepto.

3) Clericis et Religiosis interdicitur ne munere psychoanalystarum fungantur, ad mentem can. 139, par. 2.

4) Improbanda est opinio eorum qui autumant praevidiam institutionem psychoanalyticam omnino necessariam esse ad recipiendos Ordines Sacros, vel proprie dicta psychoanalytica examina et investigationes subeunda esse candidatis sacerdotii et professionis religiosae. Quod valet etiam si agatur de exploranda aptitudine requisita ad sacerdotium vel religiosam professio-

---

(\*) AAS., LIII (1961), p. 571.

nem. Similiter Sacerdotes et utriusque sexus Religiosi psychoanalystas ne adeant nisi Ordinario suo gravi de causa permittente.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 15 Iulii 1961.

Sebastianus Masala, *Notarius*

### MOTU PROPRIO "CUM GRAVISSIMA"

*(Publicamos solamente la parte dispositiva que se encuentra en AAE 54 (1962) 257 s.).*

Vi huiusmodi decreti, in Sacro Collegio tripertitus Cardinalium Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum ordo firmus stabilisque manet, quorum unusquisque iura facultatesque ad translaticias consuetudines, ad S. Liturgiam et ad alia munera spectantia, integra servat, salvis tamen praescriptis, quae in Nostris Litteris Motu proprio datis die XI huius mensis Aprilis de Suburbicariis sedibus continentur.

Cum vero Purpuratorum Patrum officia, utpote ecclesiastica munera, praeclara spirituali nota distinguantur — quod ceterum e Codice Iuris Canonici colligi potest, quo decernitur ut Cardinales viri sint *saltem in ordine presbyteratus constituti* — admodum gaudemus, quod omnibus Cardinalibus, sacerdotii plenitudine ornatis, potestas sane tribuatur gravibus sibi commissis officiis tali ratione fungendi, quae singulari eorum dignitati aptius respondeat.

Quapropter, re mature perpensa, Motu proprio atque Apostolica Nostra auctoritate statuimus ac decernimus, ut nunc et in posterum omnes Sacri Collegii Cardinales episcopali dignitate augeantur, salvis praescriptis Canonis 231 § 1, iis exceptis, quae de Cardinalium Presbyterorum numero praecipiantur. Volumus praeterea ut verba Canonis 240 § 3 immutentur, in eam scilicet sententiam, ut singuli Cardinales Diaconi in sui honoris templo, quod *diaconiam* appellant, haud secus ac ceteri Cardinales in suo quisque titulo, sacris pontificati ritu operari possint.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris Motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xv mensis Aprilis, anno MDCCCCLXII, Pontificatus Nostri quarto.

IOANNES PP. XXIII

## E S. CONGR. DE RELIGIOSIS

### NOTIFICATIO

*Novae normae circa summam ultra quam ad S. Sedem recurrere debetur.*

Quoniam pecuniae pretium ob peculiare horum temporum condiciones varia vice est mutatum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita opportunum duxit, ad novas necessitates subortas, normam accommodare, ex qua Instituta statuum perfectionis, ultra certam definitamque summam, ad Sanctam Sedem recurrere debent in negotiis de quibus in Can. 534 C. J. C.

Itaque, re mature perpensa et approbatione habita Ss.mi Domini Nostri in Audientia diei 22 Ianuarii 1962, eadem Sacra Congregatio, donec aliter decernatur, statuit ut Indultum Apostolicum semper impetrari debeat quotiescumque, in alienationibus faciendis vel in debitis et obligationibus contrahendis, summae quae infra recensentur excedantur, servtis ceterum iis quae eodem Can. 534 praescribuntur:

1. ANGLIA: Libellae Angl. (Pounds) 5.500
2. AUSTRIA: Nummi Austr. (Schilling) 400.000
3. BELGIUM: Franci Belg. (Francs) 800.000
4. DANIA: Coronae Dan. (Kröner) 110.000
5. GALLIA: Franci Gall. (N. F.) 75.000
6. GERMANIA: Marcae (DM) 60.000
7. HELVETIA: Franci Helv. (Franken, Francs) 65.000
8. HISPANIA: Nummi Hisp. (Pts.) 900.000
9. ITALIA: Libellae It. (Lire) 9.000.000
10. LUSITANIA: Scuta (Escudos) 450.000
11. NEERLANDIA: Floreni (Gulden, Florins) 55.000
12. NORVEGIA: Coronae Norv. (Kröner) 110.000

13. SUECIA: Coronae Suec. (Kröner) 80.000
14. Pro AMERICA et omnibus Nationibus, quae hoc indice non continentur: Dollaria Civ. Foed. Amer. Sept. (Doll. U.S.A.) 15.000

Romae, die 30 Iunii 1962

VALERIUS Card. VALERI  
*Praefectus*

P. P. Philippe, O. P.  
*a Secretis*